



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio II. Vtrùm legitima possessio sit rationabilis causa, & sufficiens titulus deponendi conscientiam dubiam, & honestandi operationem in materiâ justitiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

sibi jubetur, vel non esse contra Dei praeceptum, certum est, vel, utrum sit, certum non est: Ubi D. Aug. dicit, quod miles speculative dubitans, an bellum iustum sit, potest tamen practice judicare sibi licitum esse militare. Secundo ex cap. *Laudabilem, de frigidis, & maleficiat.* ubi triennii tempus conceditur ei, qui dubitat de valore matrimonii ob impedimentum frigiditatis, ut possit experimento, & usu copulae matrimonialis cognoscere, an revera ita sit. Tertiò ratione, quia iudicium practicum est sufficiens regula honestae actionis; ergo si hoc iudicium, (quod dari non repugnat, ut diximus, & infra dicemus,) sit determinatum, & prudens, saltem apparenter, voluntas erit bona, & honesta.

15. Oppones 1. Ex dubio speculativo semper oritur dubium practicum; sed cum dubio practico non est licitum operari, ut diximus; ergo neque cum dubio speculativo, utpote quod saltem mediate ratione dubii practici, quod ab illo oritur, tollit honestatem operationis. Respondeo cum *Bonacina d. 2. de Peccat. quest. 4. punct. 7. num. 2.* & aliis, maiorem esse veram per se loquendo; nam qui habet dubium speculativum, debet per se loquendo formare in praxi iudicium practicum simile speculativo; ut si dubito, an obliget absolute voto, etiam de beo dubitare, an hic, & nunc illo obliget. Hoc tamen non tollit quominus habens causam rationabilem, non possim formare iudicium practicum dissimile speculativo, quo iudicemur, & nunc mihi licere, quod iudicium speculativum iudicat absolute non licere.

16. Patet in eo, qui speculative dubitat, utrum possit rapere aliena, cui si superveniat extrema necessitas, habet sufficientem rationem ad variandum iudicium, & ad iudicandum hic, & nunc sibi licere aliena rapere, quatenus extrema necessitas omnia facit communia; ergo cum dubio speculativo stare potest iudicium practice certum de honestate actionis; quod tamen non oriatur ex ipso dubio speculativo, sed ex aliis principiis, & circumstantiis. Patet etiam in Clerico, qui dubitans, utrum satisfaciatur officio recitans cum sua sorore, potest formare hoc iudicium, res, quae non est expresse prohibita, censetur permessa, ut ex variis legibus probat *Quintanadum. tract. 4. singular. 12.* Sed non est prohibitum recitare cum femina; ergo licitum est recitare cum mea sorore. Hoc etiam tenet *P. Laym. lib. 4. tract. 1. cap. 5. num. 8.* quamvis talis femina non esset baptizata, nec haberet attentionem, vel intentionem recitandi, dummodò verba proferret; siquidem alter, quocum recitat, satisfacit obligationi suae, partim dicendo, & partim devote audiendo, ut notavit *P. Soar. tomo 2. de Relig. lib. 4. cap. 25. num. 2.*

17. Patet similiter in eo, qui dubitaret, an hic liber v. g. esset suus, possetque illum retinere; tunc enim potest formare hoc iudicium: In dubiis melior est conditio possidentis; sed ego illum possideo; ergo licitum mihi est illum retinere; in quo eventu haberet iudicium practicum certum de iusta retentione contra iudicium speculative dubium. Addo cum *P. Sanch. lib. 2. de Marr. d. 41. num. 8. & lib. 1. decal. cap. 10. num. 7.* hoc, quod diximus de dubio speculativo, & practico, posse etiam accommodari scientiae, & opinioni, itaut, sicut aliquando, deposito practice dubio, licitum est operari contra iudicium speculative dubium ob novam rationem supervenientem, ita etiam possimus aliquando formare iudicium practicum contra evidentiam, aut probabilitatem; siquidem scientia, aut opinio speculativa non excludit bonam fidem, quando iusta causa suadet oppositum iudicium practicum; cum enim

actus humani versentur circa singularia, quod in communi est illicitum, potest hic, & nunc ex aliqua circumstantia respectu alicuius licitum fieri.

Hinc est, quod sciens speculative non licere in Festis servilia exercere, potest practice formare iudicium, siue conscientiam, sibi licere, quia egestate premitur. Similiter Judex sciens speculative Petrum esse innocentem, siquod sibi licitum non esse eum damnare ad mortem, potest (ut aliqui dicunt, & supra vidimus) practice formare iudicium, sibi licere eum damnare ad mortem, quia Petrus hic, & nunc probatur nocens ex depositione testium; ergo &c.

Oppones 2. Cum dubio positivo licitum est operari, etiam illo non deposito; ergo etiam cum dubio negativo. Respondeo negando consequentiam; diversa ratio est, quia dubium positivum, ut diximus, semper asserit rationes pro utraque parte sufficientes ad formandum iudicium, saltem probabile; ac proinde idem est, atque opinio probabilis, cum qua licitum est operari: at verò dubium negativum non ita; quamvis enim fundetur in aliqua ratione, haec tamen non est sufficiens ad formandum iudicium, & probabilitatem, ut si quis dubitet, utrum occiderit, quia habuit cogitationem occidendi; tunc enim cogitatio non est sufficiens ratio ad iudicium, & probabilitatem de homicidio.

Advertendum est ad excludendum dubium speculativum, opus esse adhibere diligentiam sufficientem, & dari causam rationabilem suadentem posse variari practice iudicium speculativum, siue apprehensionem: Primum, quia si diligentia praetermittatur, dabitur periculum operandi prave, siquod prava, & inhonesta erit operatio. Secundum, quia si nulla detur causa rationalis ad variandum iudicium speculative dubium, etiam sic agens, temere, & imprudenter, ac proinde illicite operabitur. Qualis autem debeat esse haec causa rationalis? ex dicendis constabit. Sit igitur.

SECTIO II.

Utrum legitima possessio sit rationabilis causa, & sufficiens titulus deponendi conscientiam dubiam, & honestandi operationem in materia iustitia?

DIFFICULTAS praesens est: Utrum si bona fide rem possideas, incipias tamen dubitare, an tua sit, vel tenearis eam restituere, possis, sufficienti diligentia praemissa ad veritatem assequendam, ea non inventa, nec assecuta, rem ipsam licite retinere? Prima sententia docet, possessionem non reddere tutum dubitantem, siquod teneri restituere, quando adhibita diligentia nequit dubium deponere. Ita *Adrianus 4. de Restit. quest. de Praescript. §. Hoc posito, & quodlibet. 2. vers. Secundo dico.*

Secunda sententia asserit, possessorem sic dubitantem teneri restituere rem dividendo pro ratione dubii: aut cum eo, de quo dubitat, an sit verus dominus, aut si de nullo specialiter dubitet, cum pauperibus, qui loco incerti domini succedunt. Ita *Sor. lib. 4. de Just. quest. 5. art. ult. ad finem. Lefm. 2. part. quest. 18. art. 1. dub. 14. Cordub. lib. 3. quest. 9. §. ult. Aragon. 2. 2. quest. 62. art. 1. tract.*

erant. de dominio, ante. §. His constitutis. Siquidem stante æquali dubio, æquale jus videtur esse utriusque partis; ergo res dividi debet.

23. Tertia nihilominus sententia affirmat, incipientem bonâ fide possidere, si dubium superveniat, an res sit aliena, teneri quidem diligentiam adhibere, ut veritatem assequatur, eâ tamen præmissâ, nec veritate detectâ, posse ratione possessionis retinere, & practicè non dubitare, non obstante dubio illo speculativo, an res sua sit. Ita Victor. de jure belli, dubio 3. proposit. 4. num. 3. Sor. de Secreto, membr. 3. quest. 2. post. 3. conclus. vers. Et quamvis, & in 4. dist. 27. quest. 2. art. 3. vers. Ad hujusmodi. Medin. C. de resit. q. 17. §. Corollarie. Covar. regul. Possessor. 2. part. §. 7. num. 4. & regul. Peccatum, 3. part. num. 4. Ledesm. 2. part. 4. q. 8. art. 4. dubio 6. Cordub. lib. quest. q. 8. corol. 3. vers. Ad primam. Sylvest. verb. Prescriptio 1. quest. 3. dicto 3. P. Henriquez lib. 14. de Irregularitate. cap. 15. fine. Bannez 2. 2. quest. 62. art. 6. dub. 5. conclus. 4. P. Mol. tomo 1. de just. d. 35. fine, & d. 36. conclus. 1. Lud Lopez 1. part. Instrum. cap. 135. §. Quare Salon. 2. 2. quest. 61. de Dominio, ad finem, & alii quos citat, & sequitur P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 12. & lib. 1. decal. cap. 10. num. 9. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 23. n. 223. P. Vasq. 1. 2. d. 66. cap. 7. art. 36. Sayr. in clavi lib. 1. cap. 13. num. 13. Villalob. tom. 1. sum. tract. 1. diff. 20. num. 1. Perez certam. 10. num. 127. P. Agor. tomo 1. lib. 2. cap. 19. quest. 5. & 8. P. Agid. de Sacram. d. 34. dub. 10. num. 93. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 2. num. 4. & alii.

24. Probatur primò ex Regul. 65. de regul. jur. in 6. & regul. 170. ff. eodem, ibi: In pari causa, & delicto, melior est conditio possidentis; sed æqualiter dubitas, an tua, vel aliena res sit, & aliunde possides; ergo melior est conditio tua, ut possis licitè retinere. Secundò ex Regul. 11. de regul. jur. in 6. ibi: Cum sunt pariter jura obscura, Reo potius favendum est, quam Actori; ergo sic possidens spoliandus non est sua possessione, imò ei potius favendum, ut Reo.
25. Probatur tertiò, quia possessor bonæ fidei non debet removeri in foro externo sine plenâ & evidenti probatione in contrarium, ex l. 1. in fine, C. de condition. insertis. Et bene probat P. Sal. cit. n. 226. & Molin. de Primogen. lib. 3. cap. 4. num. 32. Sed forum internum semper debet externo conformari, quando hoc falsâ præsumptione non innititur, ut ex multis probat P. Sanchez lib. 2. de Matrim. d. 41. num. 12. & lib. 1. decal. cap. 10. num. 9. P. Soar. de censur. d. 40. sect. 5. num. 16. & P. Pal. cit. num. 4. ergo cum in foro externo spoliandus non esses re possessâ, neque etiam in foro interno te debes spoliare.

26. Probatur quartò, quia licet æquale sit dubium, an tua, vel aliena sit res, non tamen est dubium, te illius possessorem esse; ergo nulli facis injuriam in possidendo. Confirmatur, quia duplex jus debet unum superare; sed ex parte tua est duplex jus, alterum certum possessionis, & alterum dubium proprietatis; ex parte verò alterius solum est jus dubium proprietatis; ergo tuum jus superius est jure alterius; ergo non est cur rem, aut aliquid illius à te debeas expellere.

27. Dices: Dubitatio possessionem interrumpit; si quidem cessat bona fides in possidente, quæ consistit in eo, quod æstimet suam rem, quam possidet; & sic non potest æstimare, qui dubitat; atqui cessante possessione, jam æquale est jus utriusque partis; ergo res non potest ab uno retineri, sed aut à dubitante relinqui, aut inter utrumque dividi. Respondet majorum esse veram in incipiente possidere,

Tomo 2.

utpote qui injustè rem sibi arrogat, quam tamen non magis ad se, quam ad alium pertinere æstimat; non ita tamè in eo, qui bonâ fide possidere incepit; & in eadem continuat, licet postea superveniat aliqua dubitatio; in continuatione enim possessionis, licet quis ignoret rem esse suam, dum non probatur esse alienam, pro possidente stat præsumptio, ex cap. Si virgo, 34. quest. 1. & tradit Covar. supra cit. P. Less. lib. 2. de just. cap. 6. dub. 3. Unde dum de veritate non constat, semper possidenti favendum est, neque obligandum restituere, ex l. Is qui destitavit, ff. de rei vindic. & §. Retinenda. Instit. de Interdictis. Adhuc tamen sit,

Dubium 1. Utrum sic possidens, & omittens diligentiam ad inquirendum verum dominum, de quo tamen postea non potest inquirere, & si antea inquireret, posset comparere, teneatur, talè dubio persistente, restituere? Affirmant P. Mol. tomo 1. de just. tract. 2. d. 36. conclus. 1. P. Sanchez lib. 2. de Matr. d. 41. num. 13. & alii. Nihilominus non teneri ad restitutionem docent P. Rebel. de just. 1. part. lib. 2. quest. 5. num. 12. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 2. num. 9. Bonacin. & alii apud P. Bard. discept. 6. cap. 9. §. 7. qui tamen credit, talem hominem teneri saltem ad aliquam partem restitutionis. Probatur tamen, quia licet talis homo peccaverit contra justitiam in omittenda diligentia, ob periculum consumenditrem alienam, adhuc tamen non constat de damno illato, cum non constet rem esse alienam; ergo adhuc est possessor bonæ fidei; sed in dubio melior est conditio possidentis bonæ fidei; ergo &c.

Dubium 2. Quid dicendum, si præmissâ diligentia, & dubio persistente, magis tamen propendeas rem esse alienam? Prima sententia affirmat, teneri sic possidentem dividere rem possessam, si divisibilis sit: sin minus, recompensationem facere pro dimidietate pretii. Ita Salon. 2. 2. quest. 62. art. 6. contr. 4. conclus. 4. Bannez. ibid. quest. 40. art. 1. dub. 5. conclus. 4. P. Valent. 2. 2. d. 3. quest. 16. punct. 2. vers. Si autem, P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 19. P. Agid. d. 34. de Matr. dub. 10. num. 93. Petr. Ledesm. de Matr. q. 45. art. 1. ad 3. Siquidem tunc non est par causa, ut possidenti suffragetur; imò illa major propensio videtur æquivalere possessioni.

Secunda sententia probabilior docet, sic possidentem non teneri restituere, neque dividere rem possessam. Ita P. Vasq. 1. 2. d. 66. cap. 7. n. 42. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 23. num. 231. P. Sanchez lib. 1. decal. cap. 10. n. 9. sententiam mutans P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 2. num. 11. P. Bard. cit. §. 1. Probatur, quia adhuc in prædicto evento melior est conditio possidentis; siquidem possessio præponderat omnibus rationibus, dummodo non sint convincentes; ergo &c. Advertit tamen P. Sanch. te debere etiam probabiliter judicare, rem esse tuam, ut possis retinere; alioqui retinens contra conscientiam operaberis.

Inferes: Ergo sic possidens poterit rem alienare; & quamvis dominus postea compareat, nihil tenebitur ei restituere. Respondeo posse quidem rem alienare: si tamen postea dominus compareat, solum teneri ei restituere illud, in quo factus est ditior: si verò dubitetur an factus fuerit ditior, præsumitur non fuisse factam ditio rem, sed lautius vixisse, sicq; ad nihil teneri. Ita Doctores apud P. Bard. cit. P. Vasq. cit. n. 38. P. Sal. cit. n. 227. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 22. P. Pal. cit. n. 12. Joan. Sanch. d. 43. n. 12. Covar. regul. peccatum. 3. p. num. 4.

Addunt tamen Doctores cit. sic possidentem si

si velit rem alienare, teneri monere emptorem de suo dubio, quando est probabilis spes, dominium compariturum: tum quia vendit rem vitiosam, & periculo expositam: tum etiam quia eo vitio detecto, aut emptor non emet, aut viliori pretio. Si tamen non sit moralis spes, ut verus dominus certo compareat, non teneri monere de dubio; siquidem tunc emptor morali periculo non exponitur amittendi rem emptam.

33. Dubium 3. Utrum certus de contractu, dubius tamen de solutione, aut de causa ab illa excusante, teneatur solvere? Affirmativè. Ita *P. Vasq.* 1. 2. d. 66. cap. 6. num. 43. *P. Sal. cit.* num. 231. *P. Sanch. lib. 1. decal. cap. 10. num. 12. P. Soar. tomo. 2. de Relig. lib. 2. de jur. am. cap. 33. num. 7. Joan. Sanchez d. 42. num. 9. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 2. num. 14. Probatur primò, quia alius possidet actionem debiti contra te, quàm illum in dubio privare non potes; siquidem dubia exceptio non potest excusare excipientem ex 1. Titia textores, ff. de legat. 1. & Bald. in l. Non solum ff. de nav. operis nunciat. §. Sed ut probari; ergo &c. Secundò, quia iustitia petit æqualitatem; debito autem certo non est æqualis dubia solutio; ergo &c. Confirmatur, quia certus de voto, dubius tamen, an ei satisfecerit, tenetur satisfacere; ergo &c.*

34. Dubium 4. Utrum possidens mala fide teneatur rem integram restituere, cum dubius est, ad quem pertineat? Dico 1. Si rem furto acceperis à possessor bonæ fidei, teneris ei integrè restituere, etiamsi dubites, an illius sit. Ita *Navar. sum. cap. 17. n. 117. Medin. C. de restit. quest. 29. vers. Secundum. Cor. dub. sum. q. 11. art. 3. §. La tercera. Angl. 2. part. q. 2. de restit. diff. 3. dub. 1. P. Mol. tomo 1. de iust. tract. 2. d. 35. §. Verum, Navarra lib. 3. de restit. cap. 1. dub. 8. num. 350. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 26. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 23. num. 234. P. Pal. cit. punct. 3. num. 1. Joan. Sanch. d. 43. num. 13. Probatur, quia cum ille esset possessor bonæ fidei, iustè possidebat; ergo illum iniustè spoliasti; ergo nullum habes titulum, ratione cuius possis rem, aut illius partem retinere.*

35. Dico 2. Dubitans an res sit furtiva, eamque possidens titulo emptionis, aut donationis, si facta diligentia, dubium perseveret, tenetur rem dividere cum eo, de quo dubitat, an sua sit. Ita *P. Mol. cit. d. 35. §. Verum, & d. 36. sine. P. Sal. cit. n. 232. P. Sanch. de Matr. lib. 2. d. 41. num. 24. P. Pal. cit. n. 2. & alii apud illos. Probatur, quia tunc pro nullo stat præsumptio, & in utroque est ius æquale; ergo inter utrumque res est dividenda.*

36. Dices: Qui, aut emit, aut donatione accepit, est in possessione; in dubio autem melior est conditio possidentis; ergo &c. Respondeo possessionem in prædicto eventu non suffragari possidenti; siquidem incipienti cum dubia fide possidere, non favet possessio; est enim possessio detentio rei cum bona fide, ut ex illius definitione tradunt *P. Azor. Host. Sylvest.* & alii.

37. Instabis: Saltem quando quis prout sic emit, non tenebitur cum aliis rem dividere, qui nihil solverunt; ergo &c. Respondeo negando antecedens: nam si quando verus dominus comparet, teneris ei rem integram restituere, etiamsi pretium dedisses, quia mala fide illud dedisti: etiam sic teneris cum aliis illam dividere pro qualitate dubii, quamvis pretium dedisses, cum ipsi, quibus pro dubio debes satisfacere, nihil acceperint.

38. Dico 3. Quando quis prout sic rem accepit à possessore bonæ fidei, etiamsi dubius acceperit, poterit, non comparente domino post factam diligentiam, rem ipsam retinere, & illà uti. Ita *P. Mol.*

*cit. d. 36. concl. 1. & 3. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. n. 28. Ioan. Sanch. d. 43. n. 14. P. Sal. cit. n. 236. P. Pal. cit. n. 3. Probatur, quia in proposito eventu, cum succedat loco possidentis bonæ fidei, ei suffragatur possessio, sicque melior est conditio possidentis; ergo &c. Hinc est, quod emens mancipia ab asportantibus, etsi dubius emat, an sint furtiva, aut iniustè capta, dummodò non à capientibus, sed ab asportantibus, qui bonà fide possident, emat, aut dono accipiat, possit illa retinere, si post factam diligentiam, eorum domini non comparent, neque constet, esse iniustè capta. Ita *P. Molin. cit. P. Sanch. cit.* & alii. Siquidem succedit in iure, quod alter, à quo emit, habebat; sed is iustè possidebat, utpote qui cepit bona fide possidere, & in dubio potior erat ejus conditio; ergo &c.*

Dico 4. Ignorare rem esse furtivam, & credere non omnia ab aliquo vendita furtiva esse, licet rumor, & vehemens suspicio sit, illum multa furtiva vendere, est sufficiens ratio, ut quis dicatur emptor bonæ fidei, dummodò non adsint rationes efficaces, seu moraliter convincentes, sed tantum dubiæ, & probabiles, venditorem vendere rem furtivam. Probatur 1. pars, quia quando adsunt rationes efficaces, & convincentes, exponis te periculo retinendi rem alienam; ergo bonæ fidei possessor dici non potes. Probatur 2. pars, quia quando adsunt tantum rationes dubiæ, aut probabiles, debes dubium deponere, & intelligere, alium ritè vendere; siquidem nemo præsumitur malus, nisi probetur, neque in dubiis, delictum commississe ex *Regul. jur. & ex l. Meritò ff. pro socio; ergo &c.* Ita quoad primam partem. *P. Mol. cit. d. 35. P. Sanch. cit. n. 27. P. Sal. cit. n. 235. & quoad secundam partem P. Pal. cit. punct. 3. n. 5.*

Quæres tamen hic: Utrum emens rem furtivam, ut verum dominum inquirat, & illam ei tradat, peccet? Negativè. Ita *Covar. regul. Peccatum, 3. part. num. 4. Bannez 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 1. conclus. 1. Salon. ibid. contr. 4. conclus. 2. P. Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. num. 29. P. Sal. 1. 2. tract. 8. d. unica, sect. 23. num. 237. P. Pal. d. 3. de Conscient. punct. 3. num. 4. & alii. Probatur, quia tunc in eo utiliter agit domini negotium, cui gratum id erit, qui nunquam fortasse aliter rem esset habiturus; ergo &c. Addunt tamen Doctores, si dominus non compareat, debere rem in pios usus convertere: si tamen compareat, eam tradere, sed semper pretio deducto; neque enim æquum est, ut damnum amissionis pretii subeat.*

Advertes tamen, licet in dubio melior sit conditio possidentis, non idè sequi, quod Doctor consultus, aut Judex teneatur favere possidenti, quando sunt duæ opiniones diversæ circa aliquam rem; siquidem solum in dubio melior est possidentis conditio; Doctor autem, vel Judex pro tunc non est dubius, sed probabiliter opinatur; constat autem, quod in moralibus, ut supra diximus, satis est amplecti opinionem probabilem, licet Judex probabiliorem sequi teneatur in ferenda sententia, prout supra diximus.

Ex dictis colliges primò, dum constat virginem fuisse defloratam, dubium tamen est, an fuerit per seductionem, ut sic seductor teneatur refarcire damnum, & incurrit pœnas, cap. 1. de Adulter. præsumendum esse, quod ibi intervenit seductio, nisi ab stupratore contrarium probetur, ut cum communi tenent *P. Mol. tomo 4. de iust. d. 104. n. 1. P. Lugo de iust. d. 12. num. 3. licet P. Bard. id impugnet. Similiter in dubio, An fuerit virgo, quando illam cognovit, præsumendum esse, fuisse virginem; siquidem*

siquidem cum virginitas sit qualitas quædam naturalis, in dubio præsumitur inesse. Ita *P. Mol. cit. num. 14. P. Lugo cit. num. 3.* Hæc tamen intelligenda sunt in foro externo, in quo si femina interrogetur de seductione, tenetur veritatem fateri sub peccato, quæ si verè non fuit seducta, neque virgo, tenebitur restituere stupratori omne id, quod sibi fuerit per sententiam adjudicatum; quia sententia illa nulla est, cum in falsa præsumptione fuerit fundata; sicut etiam tenebitur restituere expensas litis injustæ.

46. Colliges secundò, si Petrus mihi debebat decem, & solvit duodecim, dubito tamen, an mihi gratuito donaverit illum excessum, non esse præsumendum fuisse donationem; siquidem nemo præsumitur donare per text. in l. Cum de indebito, ff. de probat. sicque teneor excessum illum restituere, nisi ex conjecturis oppositum constet. Ita *P. Bard. cit.* Similiter dicendum de illo, qui dedit confanguineo alimenta, dubitat tamen, an fecerit animo donandi, vel repetendi; præsumitur enim dedisse animo repetendi, nisi ex conjecturis colligatur dedisse ex affectu filiali, paterno, aut fraterno.

44. Colliges tertio, si famulus ultra obligationem præstitit aliqua servitia domino, dubitat tamen, an liberaliter, vel intuitu mercedis, præsumendum esse intuitu mercedis illa præstitisse. Neque oportet, quod dominus illa præcipiat, sed sufficit, quod videat in suam utilitatem exerceri opus à famulo factum, ut teneatur ei ex iustitia reo compensare; videns enim, & non prohibens, censetur implicitè consentire. Ita cum *P. Vasq. P. Bard. cit. §. 32.*

45. Colliges quarto, qui accipit rem vendendam decem aureis, si vendat duodecim, non posse excessum pretii retinere, si erat famulus, aut mercedem pro suo labore accepit, aut gratis hoc officium præstare suscepit: aliter tamen dicendum, si famulus non erat; neque aliquid pro officio præstando accepit; neque gratis ad id præstandum se obtulit, fecit tamen extraordinariam diligentiam in his casibus poterit retinere, non totum excessum pretii, sed quantum estimatur labor ille, & extraordinaria diligentia. Ita *P. Less. lib. 2. de just. cap. 21. dub. 19. & alii.*

46. Colliges quinto, si famulus alicujus, qui domino servire destitit, aut cui dominus mortuus est, petat ab hærede stipendium suum, qui tamen dubitat, an jam sit ei solutum, teneri ei solvere, dummodo intra triennium petat, non tamen si extra triennium, ut decisum est de jure Lusitano, ut notat *P. Mol. tomo 1. de just. d. 67.* Addens, triennium illud incipere à die, quo famulus, aut famula vigesimum quintum annum attingerit: legesque illas intelligendas de obsequiis, quæ ob eam mercedem, quæ vulgo dicitur *Soldada*, ou jornal, præstari solent, sive à principio de certa mercede conventum fuerit, sive non; & quando domini triennio illo perseverant in eodem loco, ubi eos in suum famulatum receperunt; alioqui neque debitum, neque actionem præscribi ante triginta annos. Et hoc idem de prescriptione hac triennali asserit, esse de jure Hispanico lib. 4. nova collect. tit. 15. l. 9. quoad omnia universim obsequia famulorum, extendique ad multos alios.

47. Colliges sexto, si Prælati ab intestato decedat, habeatque bona Ecclesiastica, & patrimonialia, acquisita ex illis dividenda esse inter successorem, & hæredes æqualiter, si æqualia erant bona; inæqualiter verò, si erant inæqualia: In dubio tamen, an bona fuerint acquisita ante, vel post promotionem, pro Ecclesia stare iudicium, nisi patrimonium sit pingue, beneficium autem tenue. Ita cum communi *P. Bard. cit. cap. 9. §. 35.*

Tom. 2.

Colliges septimò, qui tulit suffragium cum aliis injustum, dubitat tamen, an suum fuerit post majorem aliorum partem; sicque an deobligetur à restitutione, teneri ad restituendam partem damni pro ratione dubii. Ita *P. Molin. tomo 3. de just. de 736. num. 6. & P. Lugo de just. d. 19. sect. 1. n. 22. contra Dianam part. 3. tr. 3. resol. 20. & 63. Sylvest. verb. Restitutio, 3. quest. 6. Medin. Sayr. in clavi, lib. 10. tract. 2. cap. 8. n. 1. P. Rebel. de just. p. 1. lib. 2. q. 14. sect. 2. & alios probabiliter excusantes talem hominem in totum à restitutione, quatenus in dubio melior est conditio possidentis.*

Colliges octavo, qui ex officio fert suffragium de Novitio, quem dubitat esse idoneum, non posse illum reprobare; siquidem tunc absolute diceret esse defectum in tali Novitio, proferretque mendacium perniciosum. Ita *P. Bard. cit. §. 38.* Similiter si Petrus post factam diligentiam, dubitat, an Paulus labore extremæ necessitate, non teneri statim ei succurrere; siquidem possessio stat pro Petro. Ita *Joan. Sanch. d. 43. num. 20. & Diana p. 5. tr. 8. resol. 39.*

Colliges nonò, si Paulus per fraudem lucratus est decem aureos ex Petro, dubitat tamen, an Petrus, si abesse fraudem, non solum non perdere decem aureos, sed lucraturum gemmam, non teneri Paulum gemmam Petro restituere; siquidem in dubio melior est conditio Pauli possidentis gemmam. Ita *P. Less. lib. 2. de just. cap. 26. num. 13.* Sententia tamen probabilis docet, fraudantem in ludo teneri ad restituendum, non solum rem per fraudem lucratam, sed etiam quidquid arbitrio prudentis viri valet spes, quam fraudatus habebat lucrandi, si non adesset fraus. Ita *P. Reginal. lib. 10. cap. 25. num. 385.* & apud illum *Navar. in Enchir. cap. 19. num. 17.* Patet, quia sic etiam tenetur ad restitutionem, qui per fraudem impedit Petrum, ne obtimeat beneficium. Non tamen convincit exemplum, est enim diversa ratio; nam Petrus in ludo, sicut poterat lucrari, ita etiam perdere de suo; unde spes illa compensatur periculo perdendi, cui erat expositus: at verò spes beneficii obtinendi nulli periculo erat exposita perdendi aliquid de suo.

Colliges decimò, si Petro relinquatur prædium, aut quid simile, ea tamen conditione, ut illo emortuo, succedat ejus primogenitus, duo autem simul nascantur, ita ut dubium sit, qualisnam fuerit primogenitus, dividendum est prædium: sicut etiam præmium, quod promitteretur venienti primò ad metam, dubium tamen esset, quisnam prior venerit; dummodo præmium sit divisibile; alioqui uni tradetur per sortes præmium, huic autem alteri medietas pretii, prout supra diximus de habentibus æquale jus, sive juris, sive facti, & docet *P. Bard. cit. §. 9.*

Idem similiter dicendum, quando inter duos dubium est, cujusnam sit res aliqua, quam tamen nullus possidet; in quo eventu res erit dividenda, sive æqualiter, sive inæqualiter pro æqualitate, aut inæqualitate dubii. Ita cum *P. Mol. P. Sanch. & aliis P. Bard. cit. §. 8.* quando tamen dubium est, an hoc, vel illud fieri possit sine peccato, non poteris rogare Petrum, ut illud faciat. Ita *Diana part. 4. tract. 3. resol. 43.*